


Exercitationvm Theologicarvm III. De Fidei Salvтары Intima Et Propria Sanctitate

Servestæ: Typis Johannis Danielis Mülleri, MDCCXI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862990904>


Druck Freier  Zugang





94

Fa-1092 (94.1)



9

EXERCITATIONVM
THEOLOGICARVM III.

DE

FIDEI SALVTARIS
INTIMA ET PROPRIA
SANCTITATE

QVAM

Deo clementer adspirante

PRÆSIDE

JOHAN. DANIELE CRAMERO,

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE ET LIN-
GVAR. SACR. NEC NON HIST. P.P.

ILLVSTRIS GYMNASII ANHALTINI RECTORE,

publice defendet

JOANNES GEORGIVS MICHAELIS,

SERVESTANVS,

Die XI. Augusti Hora IX. usque ad XII.

22.

SERVESTÆ,

TYPIS JOHANNIS DANIELIS MÜLLERI, ILLUSTR.
GYMN. ANH. TYPOGR. Ao. c1o 1000 xi.

GENEROSISSIMIS ET PERIL-
LUSTRIBVS

Antiqua generis nobilitate & sin-
gulari virtute Excellentibus

REI PVBLICÆ ANHALTINÆ ORNANDÆ ET JV-
VANDÆ TRIVMVIRIS,

NEC NON

Maxime Reverendis, Doctisſimis, Vigilantiſſimis
ECCLESIE PATRIÆ REFORMATÆ ANTISTITIBVS
DIGNISSIMIS,

Item

Nobilisſimis, Ampliſſimis, Prudentiſſimis
CIVITATVM SVARVM SPECTABILIVM CON-
SVLIBVS GRAVISSIMIS,

TESTAMENTI VVOLF-
GANGIANI

CVRATORIBVS ATQVE EXECVTORIBVS
FIDELISSIMIS

Patronis ſuis ad cineres uſque co-
lendis & venerandis

Diſputationem hanc Theologicam:

In grati obſtriſſique animi ſignum dicatam & con-
ſecratam vult.

Eorum omnium obſervantiſſimus

JO. GEORGIUS MICHAELIS.



DE
FIDEI SALUTARIS
INTIMA ET PROPRIA SAN-
CTITATE.

§. I.

CONstitutum est, fidei salutaris veram for- *Præfatio*
mam & proprium actum, per quem salutis *de scopo*
effectrix tutissime dicenda sit, qua fieri *disputatio-*
potest brevitate & perspicuitate explicare. *nis.*

Etsi enim hanc maximi momenti doctrinam ab his
circiter cc annis per gratiam Dei a diuturnis iniqui-
tamentis repurgatam & Ecclesiæ Christi restitutam
possidemus, qui Babyle mystica exivimus; tamen ne
nunc quidem supervacaneum videtur, actus veræ fidei
compositos ita enucleare, & pro necessitate quidem,
at non nimium distinguere, ut quidnam illud speciatim
sit, quod in ea *vere salutare* appellandum sit, citra fer-
monis & phrasium ambiguitatem constet. Qua in re
id cuique persuasum esse volumus, nos hic non tam
veritatem, quæ in omnium Theologorum nostro-
rum quibuscunque institutionibus satis firmata est,
quam potius perspicuitatem & veritatis exploratæ con-
cinnam demonstrationem quarere, ut omnia obscuri-
oribus loquendi modis evoluta clarissime ac distin-

Explican-
tur voces
Hebrææ.

Etissime intelligantur, nec quisquam, *de fidei salutaris
intima sanctitate* exilius atque tenuius, quam par est,
sentiatur. Itaque sine mora ad rem ipsam aggredimur.

§. II. Primo autem vocum sacrarum simplicium,
quæ *fidem* significant, vis interior paululum confide-
randa est. Ex hac enim philologia aliquid sub-
sidii Theologiæ nostræ adlatum iri post hæc apparebit.
Habent Hebræi vocem מְנִיחַ quam LXX. interpre-
tati sunt per *πίσις* Hab. 2, 4. Vnde Scriptores N. T.
eamdem retinuerunt, Rom. 1, 17. Gal. 3, 11. Hebr. 10,
38. Ea vox Hebræa si ab origine ducitur, sine dubio
designat *firmum animi propositum, quo quis certis Dei,
quem ut FONTEM VITÆ respicit, promissionibus
imititur.* Sive enim מְנִיחַ unde מְנוּחָה descendit,
NUTRITIONEM significet, velut secundum Esth.
2, 7. & 2 Reg. 10, 1. plerique Interpretes nomen מְנִיחַ
exponunt; sive aliter מְנִיחַ sit *infantem in utero & in
sinu GESTARE*, quemadmodum Celeberrimo COC-
CEJO nostro visum est ex locis Ruth. 4, 16. Thren.
4, 5. Esa. 60, 4. coll. Esa. 66, 12. utrumq; hoc egregie il-
lustrat naturam fidei salutaris; quoniam in ea nos qua-
si Dei gratiæ potenti gestandos committimus, Hebr.
1, 3. ejusque fidelitati & veracitati innitimur, Cant. 8, 5.
eo nimirum consilio, ut ab ejus immensa gratia *vitam
& salutem* obtineamus. Quæ omnia conjungi possunt
ac debent, si verbi illius Hebræi מְנִיחַ & reliquarum
formarum significationem nomini derivato מְנוּחָה
inesse volumus. Itaque sic מְנִיחַ *credere, esset Deo fi-
deli ac vitæ auctori firmo animo adherere, quemad-
modum vel infans gestatrici, a qua enutritur, vel filius
adoptat-*

adoptatus curatori & nutritori adhæret; quo spectant
loca superiora, Ruth. 4, 16. Esth. 2, 7. Neque illud
prætermittendum, fidem esse quasi *manuum ad Deum*
extensarum FIRMITATEM, אֲמִינָה, quod eleganter
de Mose invenitur, *non remittendis manibus* auxilium
a Deo contra hostes efflagitante, Exod. 17, 12. Ve-
rum hæc quasi in transitu.

§. III. Cum igitur hic *de fide salutari* agendum *Pluribus*
fit, cogitandum simul relinquitur, dari fidem quandam *modis dici-*
non salutarem. Sed si hoc ipsum in progressu fuerit *tur SALU-*
explicatum, quid proprie in fide salutare sit, eadem *TARE.*
opera constabit, quæ fides non sit salutaris. Ergo nunc
eam fidem inspiciamus, quæ peccatoribus dat *ius vite*
per *justitiam Dei*, Rom. 3, 22. 24. 25. 26. cujus finis *sa-*
lus animarum est, 1 Petr. 1, 9. Nimirum *salutare* in
sacris litteris non uno eodemque sensu accipitur. Vel
enim (N) hoc nomine imprimis vocatur, quæ vera &
propria salutis *caussa* est, uti Christus eo modo est *caussa*
aitios eterne salutis, Hebr. 5, 9. cujus obedientia ve-
rum est *δικαιομα materia & fundamentum justitie*,
Rom. 5, 18 19. Vel (Q) salutare dicitur, quod est *instru-*
mentum amplectendæ salutis, quo interveniente
quæcunque in Christo salutaria sunt, ad nos derivan-
tur & nostra fiunt; unde quam Apostolus vocat
δικαιοσύνη τῆ θεῶ, *justitiam Dei*, id est, a Christo Filio
Dei adquisitam, Rom. 10, 3. Esa. 45, 24. eam in antece-
dentibus & sequentibus vocat *δικαιοσύνη ἐκ πίστεως*,
justitiam ex fide, c. 9, 30. c. 10, 6. *per fidem* nobis applican-
dam. Vel (S) est salutare, quod sua natura ad salutem
ducit, justitiæ Christi & fidei salutaris necessarium ef-
fectum

fectum, *sanctitas*, quæ necessaria nunc ad salutem *via* est, licet salutis causâ non sit. Hinc *beatitas* tribuitur non modo *esurientibus & sitientibus iustitiam*, quod fidei salutari est intimum, Matth. 5, 6. sed etiam *miseri- cordibus, puris corde, pacificis*, v. 7. 8. 9. Nam *sine sanctitate nemo Dominum videbit*, Hebr. 12, 14. Vel etiam (7) salutare est, quod Spiritus Dei morale instrumentum est annunciandæ & efficiendæ salutis, puta *Verbum* seu *Evangelium*, Rom. 1, 16. ad naturam mentis, quæ rationibus ac demonstrationibus gaudet, accommodatum. Vel etiam (7) huc referendum, quod salutis principium vel subsidium est, quod fidem in Christum, spem vitæ, & sanctitatem corroborat, seu ad modum causæ efficientis, seu ad modum instrumenti se habeat. Quo multa verbi divini loca pertinent. Itaque ad rem ut redeamus, nemo ignorat, *fidem* a nobis secundum superiora *salutarem* dici, quatenus occupatur *salutis causa amplectenda & possidenda*, quæ plena & integra in uno & solo Christo est. Quæ de re videatur interim in transitu phrasos *apprehendende vitæ æternæ*, 1 Tim. 6, 19. dum alios loquendi modos convenientes infra commode adjungamus.

Fides refertur ad salutis causam externam.

§. IV. Ex his cum pateat, *fidem salutarem ad salutis causam EXTERNAM* referri, inde jam disputationis nostræ tota summa efficitur, in his duabus partibus posita; Nam (1) est, quod in objecto *externo* vera salutis causa, consideremus, [2] necesse est, ut ipsum fidei actum *internum*, ad causam salutis amplectendam idoneum inquiramus. Igitur, quod ad (a) attinet, *Christum Servatorem* sacre literæ proponunt per omnem obedientiam, quam lex postulabat, *consummatum*, Heb. 2, 10. &

c. 5,

c. 5, 9. Nimirum ad salutem peccatorum *inchoata* rē
 vobis necessario implendum erat, non modo propter
 violationem illius *pœnam ferendo*, Rom. 6, 32. Deut. 27,
 26. sed etiam simul, quæ legis sunt, exacte *faciendo*, Lev.
 18, 5. Quo sensu *fides legem non abolet, sed stabilis*,
 Rom. 3, 31. Ita igitur Christus per obedientiæ suæ ple-
 nitudinem non poterat non *aliis*, quorum *vice* tantam
 rem egit, Matth. 20, 28. redemptionem & salutem mere-
 ri. Ergo sic fides in Christum fertur, ut *eum*, *cujus unius*
 ex merito seu obedientia salus detur, Actor. 4, 12. 1 Cor.
 8, 6. 1 Tim. 2, 5. Itaque si Apostolus & quidem in
 propria hujus materiæ fede loquitur de fide, qua *creda-*
tur in eum, qui Jesum Dominum nostrum a morte susci-
taverit, id est, in Deum Patrem, Rom. 4, 24. sensus hic
 est; fidem ita ferri in Christum, ut simul consideret
 Patrem, cui in œconomia salutis pœnam exigenti Fili-
 us plenissime satisfecerit, adeoque certo indicio præ-
 stitæ satisfactionis a morte fuerit excitatus, atque e vin-
 culis dimissus. Resurrectio enim Christi probat ope-
 ris præcedentis perfectionem, cum justitia Dei eum ad
 vitam redire passura non fuisset, nisi vel ultimum te-
 runcium persolvisset, Matth. 5, 26.

§. V. Nunc proximum est, ut sanctæ hujus & ple- *Atque illi-*
 nissimæ Christi obedientiæ, quæ salutis una & perfe- *us scopum*
 cta causa est, *scopum* a Christo ipso intentum distincte *respicit.*
 observemus. Si enim fides fundamentum & materiam
 justitiæ, quæ in uno Christo est, respicit, non potest
 non simul de scopo quærere, quem Deus in hoc toto
 negotio velit consequi. Sed, inquis, si obedientia
 Christi *salutis aliorum* causa est, habemus in hoc ipso
 obedientiæ illius certum scopum, nempe, *ut homines*
per

per eam seruentur. Imo sane, falus respicitur, falus efficitur. At vero a *salute* minime separandum est, quod necessariam connexionem habet cum salute. Itaque Johannes Apostolus nobis rem evidenter explicat, cum docet, *ad hoc manifestatum esse Filium Dei, ut opera diaboli dissolvat*, 1 Epist. c. 3, 8. Videmus igitur, hunc esse totius negotii, de quo loquimur, scopum & finem, ut *opera Diaboli* destruantur. Ea vero quænam sunt, & ubi sunt? Respondemus, qui miseri sumus peccatores, *peccatum* esse opus diaboli, Joh. 8, 41. 44. & *in nobis*, proh dolor! *peccatum inesse*, Rom. 7, 20. Eo igitur obedientia Christi pertinet, *ut peccatum in nobis destruat*. Quemadmodum enim ab unius hominis peccato *peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors*, Rom. 5, 12. ita & mors rursus tolli non potest, nisi per sublationem peccati. Hinc Christus non modo *factus nobis* scribitur *sapientia a Deo & iustitia*, sed etiam *ἀγιασμός sanctificatio*, 1 Cor. 1, 30. Summa igitur dictorum hæc est: Quod in Christo salutis causa cognoscendum proponitur, *non tantum est obedientia Christi NECESSITAS & PLENITUDO, sed etiam SCOPVS*, quem paucissimis verbis demonstravimus. Alia vero, quæ passim Christo, ut Servatori, tribuuntur, infra in tempore occurrent, ubi actus fidei *internus* explicabitur.

*Eamque
amplecti-
tur.*

§. VI. Breviter hactenus causa *externa* salutis inspecta est. Progredimur ad actum fidei *internum*, per quem quis illam salutis efficientiam ad se possit derivare. Atque hic repetimus, quod cuique est obvium, hunc *internum* fidei salutis actum eum esse oportere, ut per eum hæc salutis causa certo *apprehendatur & possideatur*,

sur, siue, ut fides conjunctionem mentis cum ea efficiat, vel, si mavis, ut *fides hæc ipsa conjunctio sit*. Quæ ratione indubium erit, eam esse fidem salutarem, quæ mens cum Christo salutis perfectissima causa conjungitur. Investigandum igitur, quo pacto fides *intellectui* aut *voluntati* insideat; deinde, utrum illud *salutare* fidei in intellectu an in voluntate quærendum sit, denique, si in voluntate fides propriam sedem habeat, *qualis hæc voluntas*, & quomodo ad Christum vitæ auctorem relata sit, explicandum superest.

§. VII. Primo fides salutaris *intellectum* occupat, *Id non fit* per veritatis necessariæ de Christo *cognitionem*, quem *per nudam* propterea *actum antecedentem* appellare omnes solent. *cognitionem veritatis*. Est enim *cognitio veritatis salutaris* necessaria conditio, citra quam fides vera non existit, etiam si eam per se non perficiat. Quare, si *cognitioni Jesu Christi* salus tribuitur, Joh. 17, 3. Esa. 53, 11. eo sensu intelligendum est, quod non nisi ex *cognitione* fides fieri in adultis possit, Rom. 10, 14. vel quod cognitio cum ceteris, quæ magis proprie salutaria sunt, conjuncta jam ipsa fiat salutaria. Solam igitur & nudam *cognitionem veritatis*, licet eam veritatem esse homo *judicet*, per se minime salutarem esse, cum apud omnes in confesso est, tum facile indubitatis rationibus asseritur. Quid enim clarius est, quam quod affirmat Paulus, *quamvis omnia haberet prophetiam, atque omnem cognitionem, & omnia mysteria sciret* --- *id tamen sibi sine amore nihil profuturum esse*, 1 Cor. 13, 2. 3. Imo & Diabolus ipse *cognitionem habet Filii Dei*, Matth. 8, 29. neque dubium illi esse potest, *Christum eorum, qui in ipso inveniuntur, Seruatorem esse*, cum hoc sentiat & experiatur, per potenti-

tentiam illius magnam se victum & jure quod habuerat, exutum esse, Matth. 12, 29. Hebr. 2, 14. eos proinde, in quos potestatem antea exercuerat, sibi ereptos atque in statum gratiæ aut gloriæ traductos Deo & Christo vivere. Ex quo ipso deinde inimicitia mutua intercedunt, secundum Gen. 3, 15. Manifestum ergo est, solam cognitionem, quæ vel in summum Christi adversarium diabolus cadere potest, per se salutarem non esse. Sive enim ad veritatem HISTORICAM, sive ad THEOLOGICAM a Deo revelatam notitia referatur, est tantum illa fides, quam HISTORICAM appellant.

Fides salutaris inest voluntatis desiderio. §. VIII. Ergo necessario *de salutare* fidei in voluntate quærimus. Neque vero actus voluntatis, per quem mens *judicat*, hic aliquid salutare efficit, cum ipsa *cognitio* modo explicata, quam nondum salutarem esse vidimus, *actum judicii* sibi implicatum comprehendat. Egimus enim de ea cognitione, qua res, ut vera cognoscitur. Atqui si quid verum cognoscitur, ut verum, jam præcessit *judicium*, quo judicatum fuerat, hoc verum esse. Id quod propterea tenendum arbitramur, ne hic inutilem logomachiam retineamus, de vocibus *cognitionis & assensus*. Etenim si *assentiri veritati* nihil aliud est, quam quod propositum erat tantquam verum, id verum *judicare & credere*, sic competentum est, *assensum* salutarem non esse, quia *judicium*, quo verum esse *creditur*, nondum est salutare. Quanquam, si per *assensum* alio modo *ipsa voluntatis ad bonum salutare*, quod propositum est, *inclinatio & propensio intelligatur*, ut sic mens promissis divinis in se ipsa implendis *assentiatur*, (quid enim prohibet, quo minus

nus ita loqui liceat?) hoc sensu *assensus* toto genere foret a priori diversus. Itaque ex his colligitur, actum salutarem veræ fidei quærendum esse in voluntatis *amore*, *desiderio*, *propensione*, *vel aversatione*, aut si quæ aliæ voces similes conveniunt. Cum enim fidem in *voluntate* inesse oporteat, neque tamen ea in *judicio* voluntatis sit, relinquitur eam esse in *voluntatis amore* seu *desiderio*; quia voluntas non aliter, nisi vel per *judicium* vel per *amorem*, aut *odium* oppositum operosa est.

§. IX. Jam nequis in hac materia propriissime Theologica existimet, se metaphysica nostra argumentatione, qua actus mentis naturales distinguuntur præoccupandum & jamjam eo, quo nos velimus, vel præter verbi divini convenientiam ducendum esse, eo maxime, quod *fides* per se tantum *actum credendi*, seu *veritati assentiendi* significet, postulat locum, ut stylum Spiritui Sancto usitatum proprius meditemur, & nostræ sententiæ minimè repugnantem esse, ostendamus, ac postea rem totam ex quibuscunque phrasibus plenius confirmemus & probemus. Itaque huc facit, quod rectè observavit, & doctè pieque inculcat Doctissimus Vir, MATTHIAS FLACIVS, ILLYRICVS de voce & re fidei, p. m. 8. 9 ubi sic: *Pleraque, inquit, verba notitiæ apud Hebræos non solum otiosam notitiam, seu solam notitiam significant, sed etiam synecdochice affectus & ACTIONES notitiam consequentes, seu vivam & efficacem notitiam una cum suis effectibus.* Ac rursus brevius pag. seq. 9. *Verba notitiæ apud Hebræos non solum cognitionem sed & PROXIMOS EFFECTVS notitiæ, ac MOTVS EAM SEQUENTES significant.* Cujus regulæ rationem pro-

fert ex ipsa sumtam, quod notitia rerum agendarum seu honesti, justi & utilis, vel ut eas aliqui nominant practicae sunt valde conjunctae cum MOTIBVS VOLUNTATIS, easque generant. Ob hanc igitur notitiarum practicarum & motuum cordis viciniam molli transitu haec verba ad motum voluntatis transeunt, vel etiam utrumque complectuntur.

Quod exemplis probatur.

§. X. Hanc regulam ita illustratam idem Vir doctus confirmat exemplis. Psalmo 1. ait וַיֵּדַע דָּוִד דֹּמִינֵם דְּוֵי יְהוָה דְּוֵי יְהוָה דְּוֵי יְהוָה novit Dominus viam justorum, non solum ipsam cognitionem significat, sed etiam effectum notitiam consequentem, nempe, quod ei placeat; Item ACTIONEM, nempe quod viam seu vitam piorum TVEATVR ac PROTEGAT. Ejusmodi est illud, Joh. 10. COGNOSCO oves meas: item, nunquam NOVI vos, Matth. 7. Item רָאָה vidit crebro motus animi, visionem sequentes significat, ut Ps. 10, 11. (ubi בַּל רָאָה לְנַפְשׁוֹ, exponendum): non habet Deus rei rationem, non curat. Conf. 2 Reg. 14, 26. Esai. 58, 3.) Et paulo post: Verbum respicere [Hebr. רָשַׁע] vel maxime consequentes notitiam motus significat, &c. Hactenus ille. Nos haec pauca adjicimus. Verbum שָׁמַע similiter de Deo non tantum est audire, sed & auditis precibus auxilium ferre, Psal. 6, 10. Gen. 17, 20. de hominibus, audito praeepto obedire. Ita, quod superioribus accensendum רָשַׁע respicere ad Deum, Esai. 45, 12. [quod tam naturale fidei verbum est, ut fere nullum praestantius videatur] significat ita ad Deum respicere, ut simul auxilii vel salutis ab eo obrinende VOLUNTAS & DESIDERIVM sit, quemadmodum ita serpens aeneus erectus inspiciebatur, Num. 21, 8. 9. Quae omnia

omnia si ad præsentem materiam applicantur, nulla ratio est ex voce petenda, cur non *credere* ultra actum *notitiæ* seu *assensus* intelligendum sit. Nimirum aliorum hujusmodi verborum similia exempla, quæ vidimus, faciunt, ut *sic possit* fides accipi; rei autem natura multis testimoniis litterarum sacrarum nervosissime explicata, postulat ac jubet, ut sic intelligi plane *debeat*; id est, ut fides vera & salutaris posita sit non in actu *cognitionis* & *judicii* sed in intimo actu *voluntatis*, *amoris*, *desiderii*, id quod ex sequentibus dilucidius constabit.

§. XI. Quod igitur Ecclesiæ Protestantæ in suis *Fiducia* i-
Confessionibus, Symbolis, Institutionibus, & Theo- *gitur hoc*
logi fere utriusque nominis vocabulo *fiduciæ* uti solent. *sensu neces-*
quæ *salutare* fidei constituat, necessum est, ut *fidu-* *se est ut ex-*
cia in hunc sensum explicetur, ut eam vel in ipso actu *plicetur.*
voluntatis desiderantis consistere dicatur, vel *actum*
voluntatis ei indivulso nexu conjunctum esse. Habet enim hoc nomen unam atq; alteram ambiguitatem, quam caveri operæ pretium est. Vel enim *fiducia* est summus gradus *certi judicii*, quo quid *verum esse certo credi-*
tur, vel est excellentior gradus *spei*, qua *bonum promissum* & *DESIDERATIVUM* speratur, & simul certo obventurum *judicatur*. Si *fiducia* priori modo sumitur, ut homo e.g. confidat certissimeque *credat*, *si in*
Christo sit, se salute potiturum, hæcenus non differt ab illa mera *notitia* veritatis revelatæ, quam supra docuimus ad salutem non sufficere. Hæc enim tantum est certa cognitio hujus veritatis, *credentem in Christum servatum iri*, at nondum est ipsa fides salutaris, qua vere conjungatur cum Christo, sicut ex superioribus patet.

Quod si eodem sensu prioris modo *certa notitia* referatur ad ipsam possessionem præsentis boni, id est, si quis certissime sibi persuadeat se *Christum salutis causam vere possidere*, ita supposita hac possessione nondum explicatum est, *per quid ventum sit ad possessionem*, quod præcessisse oportuit. Et numquid per hoc, quod *credam*, id est, *judicem me Christum possidere*, Christum revera possidere incipio, nisi aliud quid sit? Ego profecto non id audeo affirmare. Ergo *fiducia salutaris* dicenda est modo posteriore, ubi simul *desiderium*, & *certum* de bono obventuro *judicium* concurrunt. Hæc enim fiducia, spei summus gradus, cum ad magnum bonum *salutem in Christo habendam* refertur, omnino includit *desiderium illius boni*: nihil enim pro consueto verborum usu sperare solemus eventurum, nisi id simul evenire *cupiamus*. Itaque, si attendimus, non difficulter licet pervidere, cum actus *judicii* *ad salutem* non efficiat *in fiducia salutari*, id non posse non in *amore* seu *desiderio* voluntatis remanere.

*Ad quod
probandum
propius
venitur*

§. XII. Cum his sicut consentiunt publicarum Confessionum & librorum Symbolicorum in Ecclesiis Protestantium explicationes, quod offendere brevitate causa omittimus, ita multo magis hanc veræ fidei naturam probamus ex significantissimis, quæ passim in Verbo salutari occurrunt, phrasibus jamjam enucleandis. Verum prius, quam hoc fit, commodum videtur exemplum Davidis ex supra laudato auctore, Doctiss. FLACIO, quo nescio an quisquam veterum veram fidem distinctius explicuerit, spectandum proponere, ut quænam fidem antecedant, quænam consequantur, ex hoc sanctissimo Rege & Propheta, quem
&

& Paulus in eodem hoc negotio commemorat, Rom. 4. 6 perdiscamus. Postquam enim David Rex turpe illud adulterium commiserat, *PRIMUM* (verba sunt *FLACII*) *Nathan* ei legem ac minas Dei concionatur, cum dicit: Tu es ille Vir; sic dicit Dominus &c. ubi primum est *LEGALIS NOTITIA* Dei. [2] *David* statim minis illis frangitur conteriturque, & exclamat: Peccavi Domino; item postea in precatione hanc suam contritionem prolixius exponit, cum inquit: Quoniam iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum coram me est semper. [3] *Nathan* subito subjungit concionem *Evangelii*; sic enim inquit: Et jam Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris. (4) *David* audita concione *Evangelii*; NB. *EXPETIT* illud beneficium & *FLAGITAT* a Deo, ut sibi contingat: clamare enim incipit: Misereri mei Deus secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum NB. dele iniquitates meas. (5) *Sub finem precationis* statuit se exaudiri, ideo dicit: Cor contritum Deus non despiciet. (6) *Jam incipit in Deum placatum CONFIDERE*, omniaque bona sibi de eo tanquam *Patre benignissimo* polliceri; recipit letitiam & pacem cordis, mutat vestes, & *Bathsabæam* uxorem suam consolatur. Ex his sex, ut *Auctor* appellat, motibus veræ fidei minime obscure quartum vult primum salutare esse, ut sic proprie fides sit, quemadmodum se in verbis sequentibus explicat, accedere ad thronum gratiæ, ibique per ac propter *Servatorem Christum* misericordiam ac opem Dei querere, implorare ac impetrare, sive interno motu, *DESIDERIO*, ac gemitu cordis Deum respicere, & inenarrabilibus suspiriis oblatam in *Evangelio* misericordiam Dei imploro.

implorare. Qui gemitus, vota & suspiria cordis per & propter Christum cum Deo agentis, ejus misericordiam implorantis sunt ipsissima ANIMA, COR, VIGOR, FLOS aut ACTVS FIDEI. Quæ omnia videantur in libro illius Auctoris prædicto de re fidei p. 42 43. ubi eadem opera p. 47. recta formula observetur de fide consolationes cælestes ACCIPIENTE, eisque sese in hac miseriarum valle FVLCIENTE, quæ duo verba, si quis brevem perspicuitatem quærit, totum fidei negotium exhauriunt.

*Et re ipsa
probatur.*

§ XIII. Hæc Celeberrimi & Eruditissimi Viri, ILLYRICI consentanea sunt doctrinæ illius Apostoli, qui ab Hierosolymis usq; ad ILLYRICVM omnia Evangelio Christi implevit. Is enim veram fidei salutaris naturam parum obscure ponit in *nominis Dei invocatione*, Rom. 10, 11. 12. 13. coll. cum Joel. 2, 32 vel c. 3, 5. ubi hæc sunt: כִּלְ אִשָּׁר יִקְרִי בִשְׁמִי יְהוָה יִמְלֹט *quisquis invocaverit nomen Jehovæ, eripietur*, Paulus v. 11. h. cap. 10. ad Rom. ex Esai. 28. 16. de fide illud jam supra frequenter dictum repetit, *credentem in Christum, hand pudefactum iri*, quod probat v. 3. per hæc verba Joelis allata, *Quicumque enim, inquit, invocaverit nomen Domini, servabitur*. Itaque sicut hoc, quod in priori fuerat, *non pudeferi*, id posteriori loco est, *servari*, ita quod prius erat, *credere in Christum*, id postea est, *invocare nomen Domini*. Si quis ex v. 14. objiciat, *invocationem nominis Domini distinguere a fide*, & proponi, ut *effectum* fidei, sufficit tamen esse *actionem* fidei necessariam, quæ ab ea abesse nequeat. Si *actio* hæc a primo actu veræ fidei separari non possit, hoc ipso veram fidem constituet. Quis autem dixerit, Apo-
stolum

solum hic aliquid a primo actu veræ fidei separabile
 memorasse, ubi *necessariorum* ad salutem catenam ne-
 cit, a supremo sic ad imum progrediens, ut omnia,
 quæ illic comprehenduntur, ad fidem necessaria sint,
 adeoque a *missione præconum verbi* per gradus usque ad
veram fidem non ulterius adscendatur. Nimirum ad-
 stipulamur explicationi *Parei* in h.l. qui ita breviter:
Ea, inquit, *demum vera est, & Deoplacens invocatio,*
quæ fuit ex fide: NB. *ea demum vera fides, quæ conjun-*
cta est cum invocatione Dei. Clarius fieri hoc oportet,
 si recte perpendatur, *invocationem Nominis Domini*
 tantum esse *invocationem Servatoris*, cujus solius nomen
 ad salutem datum est. Act. 4, 12. Quemadmodum, cum
 Patriarchæ *extructis altaribus* similiter *nomen Domini*
invocasse leguntur, Gen. 12, 8. c. 13, 4. c. 26, 25. id signifi-
 cat, eos super altaribus suis futurum Mesiam Filium Dei
 invocasse, ut propter ipsius sacrificium omnia salutaria
 a gratia Dei obtinerent. Quæ ut ad institutum refe-
 rantur, compertum est, serio *invocantem* gratiam Dei in
 Christo, esse, ut nos loquimur, beneficia Christi salu-
 taria *desiderantem*, adeoque veram fidem in sanctæ men-
 tis *desiderio* consistere.

§. XIV. Idem luculenter probat significantissima *Item alio*
 phrasia, cujus supra fecimus mentionem, *ESVRIRE & argumento*
SITIRE justitiam, Matt. 5, 6. Per eam verum & pro-
 prium actum fidei salutaris admodum clare describi,
 agnoscunt omnes, qui ex verbo Dei sapiunt. Nam
 hæc *justitia*, quam quis *esuriat & sitiit*, aliena ut sit o-
 portet, non inhærens homini, non *propria*, sed *justitia*
Dei vel ex Deo, quæ ipsa est *justitia fidei* vel *ex fide*, ju-
 stitiæ propriæ opposita. Quod si fingeretur propriam
 C just-

justitiam intelligendam esse, hoc *esurire & sitire justitiam* propria nihil aliud esset, quam *persequi legem justitiae*, Rom. 9, 31. sive *propriam justitiam erigendam querere*, c. 10, 3. cui Apostolus beatitatem non attribuit; ut heic *esurientes & sitientes justitiam* contra *beati* prædicantur. Quæ igitur *justitia* necessario est *fidei*, eam *esurire & sitire* sine dubio est *actus veræ fidei*, & is quidem *primus*, quoniam ad *justitiam* refertur, seu *ius vitæ*, quod ceteris omnibus beneficiis præcedit, atque omnium eorum fundamentum est. Videlicet *esurire & sitire justitiam* convenit phrasi Paulinæ, Phil. 3, 8. 9. ubi se ipsum Apostolus repræsentat, *desiderat autem Christum lucrifacere, & in eo inveniri, ut non habeat SVAM justitiam ex lege, sed justitiam ex Deo per fidem in Christum*. Sed pergendum ad reliqua, licet pauca & ex multis locis selecta. *Desiderium* igitur mentis similiter probatur ex eo, quod *fides* sit *receptio Christi*. Joh. 1, 12. *Recipere* enim Christum, ut *Servatorem* nihil aliud est, quam *VELLE hunc unum sibi Servatorem esse*; ideo enim recipitur, ut servator sit. *Mens* sane siquid *recipit*, pro naturæ suæ ratione non potest, nisi per *motum voluntatis*, quo receptum vel recipiendum *VULT* suum esse, aut suam fieri, sibi que prodesse. Eodem spectant alii loquendi modi, veluti *confugere ad Filium*, Pl. 2, 12. Prov. 18, 10. *venire ad Filium ad habendam vitam*, Matth. 11, 28. Joh. 5, 40. c. 6, 35. *querere faciem Dei*, Pl. 27, 8. *orare, querere & pulsare*, Matth. 7, 7. 8. ut alia ob chartæ angustiam prætereamus.

Amor, qui fidei inest, §. XV. Quemadmodum igitur hæc omnes phrasæ sacræ indicant *voluntatis desiderium*, ita & alibi ex *amore*

amere Christi salus suspenditur, 1 Cor. 16, 22. unde pro-*distingui-*
clive est cogitare, *fidem salutarem esse unice per amo-*
rem Christi. Videamus, quid de hoc statuendum sit
 secundum verbi divini doctrinam, ut in hoc etiam
 ambiguitas & logomachia nulla sit. Ac primo faten-
 dum est, *amorem* duplici sensu in S. litteris occurrere,
 ut vel *amorem erga servatorem* significet, vel *amorem*
erga legislatorem ac Dominum in sanctis operibus, quæ
 fidem sequuntur, consistentem, Nimirum ubi *fides* di-
 stinguatur ab *amore*, seu *charitate*, e.g. 1 Cor. 13, 13. 1
 Thess. 3, 6. c. 5, 8. 1 Tim. 1, 14. c. 6, 11. 2 Tim. 1, 13. c. 2, 22.
 ibi *amor* intelligendus sensu posteriori; sed ubi idem
 dicitur de *amore*, quod proprium est *fidei*, quis illic
 dubitet, sensu priori intelligendum esse *amorem*, *fidei*
 salutari internum, per quem fides constituitur? Hoc
 ipsum est, quod celeberrimus Tigurinorum olim The-
 ologus I. H. HEIDEGGERVS contra REDINGIVM
 Pontificium disputans in *Tumulo Conc. Trid.* Tom. I.
 p. 395. 396. paullo alio modo explicavit. Primum illic
 laudat GROPPERVM ipsum etiam Pontificium sibi suf-
 fragantem his verbis; *Neque hoc omittendum est, fidem*
secundum priores duas credendi rationes in intellectu
consistere: secundum tertiam vero etiam in voluntate,
quod actio fidei sic acceptæ, quod est, credere, fidere,
adherere Deo, non solo intellectu, quem fides illuminat,
sed & voluntate, quam accedente CHARITATE in-
flammat, perficitur. Tum sua ipsius verba subjicit,
 loquens ad Redingium: *Distinguerere debuisti AMOREM*
Dei, ut se per testimonium OFFERENTIS AD FOE-
DVS, ab AMORE omnium ATTRIBVTORVM Dei
& operum ejus & PROXIMI; nec non ab ardore eo, in
C 2
quem

quem exerescimus, & a tranquilla suavitate, qua in Deo deliciamur. ILLE vera fidei non potest non inesse; HIC, ceu charitas, a fide distinguitur, & a fide, ceu effectus oritur.

Et probatur.

§. XVI. Nunc testimonia quædam divinæ auctoritatis perpendimus, ac primo quidem illustrem locum Eph. 3, 17. Hic optat Paulus Ephesiis, ut *Christus per fidem habitet in cordibus ipsorum*, NB. qui in AMORE SINT RADICATI & FUNDATI. Quis igitur amor hic locum habeat, in quo Ephesii dici poterant *radicati & fundati*? Equidem non existimem charitatem esse, quæ quotidie in bonis operibus exercetur, cum non illa sed multo magis fides *radix & fundamentum* appellari mereatur, videlicet subsequenter sanctitatis, bonorum operum, virtutum Christianarum, quod apud omnes in confesso est. Si quis vero ita sentiat, *amorem* seu *charitatem* in praxi bonorum operum exercendam dici posse eorundem *radicem & fundamentum*, videtur hoc quidem alienius a stylo sacro, quando quidem ipsam illam *charitatem* seu *amorem* Apostolus vocat *πλήρωμα τῆ νόμου* impletionem legis, non illius impletionis radicem aut fundamentum, Rom. 13, 8. 10. Ex opposito memorantur *sanctissime fidei in edificati*, nimirum ut fundamento. Jud. v. 22. Quid quod disertis verbis veræ fidei tribuitur, quod habeat *radicem* sive, quod ipsa per debitam *radicem* demum *vera fides* sit, aliter ac *fides temporaria*, Luc. 8, 13. Itaque cum *fidei salutaris* proprium sit, *radicem esse & fundamentum*, hic autem idem tribuatur *amori*, quod *fidei*, præcipue, ubi agitur de fide, neque tamen *amor* intelligi debeat, in bonis operibus exercendus, relinquitur, ut *amor* intelligatur,

etur, qui a primo statim initio *in Christum ut Servato-*
rem fertur, adeoque hunc amorem ad verum & propri-
 um actum fidei salutaris pertinere; seu, fidem per hunc
 amorem demum salutarem esse. Q. E. D. Præter hoc
 argumentum habemus alterum ex Joh. 8, 42. *Si Deus*
Pater vester esset, ait Christus, *utique ME AMARETIS*,
 id est, *in me crederetis*, vel secundum v. 47. *verba mea*
audiretis, quæ eadem sunt, id quod ex omnium illo-
 rum sermonum Christi ad Judæos contextu facile col-
 ligitur. Adde, quod si *desiderium* veræ fidei naturam
 constituit, ut supra probatum est, amor abesse non pos-
 sit: utraque enim in hoc tertio communi conveniunt,
 quod sunt *voluntatis motio ad bonum cognitum*. Nihil
 desideratur, quin ametur; nec amatur quidquam, quin
 si absens sit, desideretur.

§. XVII. Postquam hæcenus adhibitis omnibus, *Queritur*
 quæ necessariæ videbantur, distinctionibus demon- *de fidei san-*
 stratum est in *voluntate amante & desiderante* inesse fi- *ctitate*
 dem salutarem, superest hoc unum expediendum, quod
 ipsius dissertationis nostræ titulus præfert, ut *fidei inti-*
mam & propriam sanctitatem ex his omnibus specialius
 efficiamus. Quod eo modo a nobis præstabitur, si plu-
 ribus exposuerimus, qua ratione Christus, ad quem mens
confugit, quem *recipit*, cujus *justitiam* anxie desiderat,
 in hoc negotio sit considerandus. Atque hic quidem
 se res facile dabit, si illud tantum inspiciatur, esse o-
 mnino duas quæstiones, utrum fides se ad Christum
 convertat, quatenus in eo *presidium est adversus iram*
Dei, & poenam peccati horrendam, an vero, quatenus
populum suum liberat a peccatis, id est *a peccatorum ser-*
vidibus, Matt. 1. 21. De priori quæstione nullum dubi-

um est, cum *confugere ad Christum* sit proprie *confugere ad arcem & rupem salutis, ad munimentum*, in quo quis tutus sit ab hostibus, secundum phrasas Prov. 18, 10. Psal. 18, 3. In posteriore quaestione neque hoc etiam controversum est, opinor, an consideratio Christi ut liberaturi hominem a peccatorum sordibus fidem salutarem *possit* ingredi? per id eam majorem fidei perfectionem futuram esse, existimo ab omnibus concessum iri; sed hoc in primis quaeritur, an illa utraque consideratio Christi in fide necessario conjuncta esse *debeat*? Qua de re nunc videamus.

Quae probatur exemplo Davidis

§. XVIII. Quisquis igitur totius rei nexum exactius perpendit, nescio an eo venire possit, ut statuat, credentem in Christum, id est salutem in eo quaerentem cogitationes suas & desiderium avertere posse a peccatorum sordibus tollendis. Qui enim ad Christum rupem salutis confugit, is novit omnem miseriam suam oriri a peccato; is sentit se per seipsum servari non posse, unde abnegata propria justitia & propriis viribus unice huic, quae supra explicata est, salutis externae causae adhæret. Itaque credentis omnino est illa Davidis verba in animo & ore habere: *Cognosco transgressiones meas, & peccatum meum CORAM ME SEMPER EST*, Pl. 51, 5. Quamobrem idem sanctus David ad misericordiam Dei confugiens in *primis* suspiriis non tantum *deletionem peccatorum suorum* id est *condonationem* expetit, v. 3. sed etiam ipsarum *sordium ablationem* desiderat in sequentibus, cum inquit: *lava me & prae nive albescam* v. 9. Ubi observandum hoc est, illud de *ablutione* præcedere, & tum subsequi: *Fac me gaudium & letitiam audire* v. 10. In quo manifestum est, prius Davidem de

de peccato abolendo, quam de animi tranquillitate restituenda cogitasse. Neque hic obstat, quod opponatur, in hoc negotio Davidis non spectandam esse fidem primam illius, qua justus coram Deo existere cœperit, sed renovationem: Nam & hic David admisericordiam Dei confugit, quod est proprium fidei, adeoque in fidei continuatione poscit a Deo illa beneficia salutaria, quemadmodum non potuit non idem fecisse in primo initio fidei. Sane fidei continuatio differre non potest a principio illius. Quemadmodum fides, ut primo cor occupat, est fundamentum omnis beneficii consequentis, ita etiam se habet in progressu. Itaque, quod David hic fecisse legitur, idem prorsus de prima etiam fide intelligendum est. Adde, quod hoc ipsum est τὸ Ἐνθρονον, an non in prima fide cogitari debeat de renovatione per Christum incipienda & perficienda? Respice hoc in loco simul, quæ supra copiosius de eadem re de quo exemplo Davidis exposita sunt, quæ in prima cujusque hominis fide se aliter habere non debent.

§. XIX. Alteram rationem petimus ex receptione Christi, Joh. 1, 12. In fide, ut habuimus, Christus recipitur: sed qualis? sine dubio, talis, qualis a Deo nobis datus, seu factus est: Atqui non modo est factus nobis a Deo sapientia & justitia, sed etiam ἀγιασμός sanctificatio, 1 Cor. 1, 30. Ergo & talis ut recipiatur, necesse est. Justitia enim nequaquam divellenda est a sanctificatione, quoniam nihil aliud est, nisi *jus vite*, unde ipsa vita mentis in sanctitate posita exoritur. An vero, si concedimus a fide, justitiæ causâ, sanctitatem exoriri, ideo in ipsa fide nihil sanctitatis inesse cogitabimus? Non arbitror. Nam ita quoque verbi causâ, calor est ab igne; verum

Atque aliis
rationibus.

verum ignis protinus momento primo est calidus. Vita similiter est a nativitate; sed in prima statim nativitate vitæ initium est. Hinc *fides cor da purgat*, Act. 15, 9. non eo tantum sensu, quod postea, majusculo intervallo interjecto fides vim suam exerat efficiendæ sanctitati vel sanctitatis studio, sed quod tum statim, cum cor occupat, hanc vim habet, si is qui Christum amplectitur, eum vult sibi liberatorem esse a peccatis, quæ sane sancta fidei occupatio est. Huc pertinet, quod nequidem conjunctio mentis cum Christo recte cogitari possit, nisi in ea ipsa mens ad minimum aliquid sanctitatis habeat. Mentem impuram ut impuram cum Christo conjunctam aut Christo insertam esse, ego affirmare non audeo. Confer etiam, quæ supra in hac Diss. sunt præmissa de *scopo obedientiæ Christi*, quem a credente negligi posse, parum tuto adfirmatur. Adde quod *האמונה fides ad vitam* respicit, sicut §. 2. observavimus.

*Tandem
objectioni-
bus respon-
detur.*

§. XX. Unde facile responderetur uni & alteri objectioni in contrarium adferendæ. 1. *Obj. Deus justitiam largitur impio*, Rom. 4, 5. Atqui justitiam largitur credenti, quia justitia est ex fide, ergo credens in primo actu fidei est impius. *Resp.* Distinguenda est *impietas*. Credentem in Christum impium esse concedimus, quatenus, ut prædiximus, cognoscit peccata sua & sentit; adeoque ad thronum gratiæ accedit, ut *peccator*, Luc. 18, 13. Sed quatenus peccata sua propter justitiam Christi condonari, aboleri, extirpari serio vult atque desiderat, hæc illa *voluntas* impii peccatoris sancta est, per quam tamen ipse nondum factus est plane sanctus, *ὁλοτελής*, sed postea demum fiet sanctior Phil. 1, 6. 1. Thess. 5, 23. Confer, quæ Apostolus disputat de sancti-
tatis

tatis imperfectione, Rom. 7, 18. 19. unde liquet voluntatem bonam conjunctam esse posse cum impotentia bonum faciendi: quamobrem & hunc, de quo Paulus loquitur, non obstante bona & sancta voluntate impium esse dixeris. 2. *Obj. Sic salus nostra tribuenda erit alicui sanctitati nobis inherenti, ut causse;* Resp. per retorsionem: si per fidem qualitercunque consideratam homo justus constituitur, sic etiam salus nostra ab eo pendet, quod nobis inhæret: si hoc igitur absurdum non est, non video, cur illud sit. Sanctitas fidei non consideratur, ut merens salutem, sed tantum ut necessaria ad conjunctionem cum Christo. Tantum habet sanctitatis, quantum ad hanc conjunctionem requiritur. Ceterum vera causa fidei, sanctitatis, salutis nostræ manet extra nos posita. *Omnis gloriatio per fidem exclusa est.* Rom. 3. 27. Alia, si qua sunt, ipsi disputationi reservamus.

ADNEXA RESPONDENTIS.

1.
S.S. Trinitatis mysterium fidelibus V. T. perspectum fuisse, sacræ pagine fidem faciunt.

2.
Arbor vitæ fuit emblemata filii Dei.

3.
רוח הברא נברא מלאך יהוה qui in scriptis V. T. occurrit, non fuit spiritus creatus molis corporeæ expers, nomine Dei loquens, ut passim Abarbanel interpretatur, sed ipse filius Dei æternus.

4.
מלאך הברית Mal. 3, 1. non est Elias Thesbites, quem venturum fingunt Iudei prius, quam Messias adveniat; sed. quæ ingenua Kimchii veritatis confessio מלאך הברית המשיח והוא מלך Rex Messias, & hic est angelus fœderis,

D

5. Ele.

5.
Elegans est interpretis Syri vocum se invicem regentium conversio Io. 1.
1. 2. ex qua orthodoxa primæ ecclesiæ fides de $\lambda\omicron\gamma\omega$ filio Dei, non obscu-
re adparet.

6.
Filium Dei ecclesiæ antiquæ Judaicæ sub nomine $\tau\alpha\lambda\omicron\gamma\omega$ notum fuisse,
frequens illud וַיֵּאמֶר in historia creationis, item מִימְרָא דֵי in
utroque Targum confirmant.

7.
Arcam fœderis, *Vrim & Thummim*, ignem sacrum, majestatem gloriæ
divinæ inhabitantis, spiritum denique sacrum sub templo secundo de-
fuisse, communi Philologorum sententia statuimus: quo jure vero,
quæve injuria ex voce וַיֵּאמֶר Hagg. 1. 8. ob defectum litteræ ה quina-
rium numerum denotantis, cum Rabbinis eliciatur, non definitio. Conf.
R. Sal. Iarchi add. l.

8.
 שְׂרֵפִים ob æstum amoris Dei ferventes referunt statum N. T.

9.
 $\text{אֲנָשֵׁי הַשָּׁמַיִם}$ Gen. 11. 4. sunt viri magni nominis & auctoritatis, qui ex-
structa urbe & turri, magnoque synedrio ibi constituto, ad arbitrium
suum res religionis flecti voluerunt. Quam sententiam egregie con-
firmat Targum Hierosolymitanum $\text{וַיֵּאמְרוּ אִתּוֹן כַּעַן וְנִבְנֶה לָּנוּ קִרְיָא}$
 $\text{וּמִגְדַל וְרִישָׁהּ יִמָּטֵי עַד צֵית שָׁמַיָא וְנַעֲבִיד לָן כְּנוּיָהּ}$ NB.
 $\text{וְנִבְנֶה לָּנוּ קִרְיָא וְנִבְנֶה לָּנוּ קִרְיָא}$ & dicunt, adestote nunc, ædificabimus nobis urbem
& turrim, cujus summitas pertingat usque ad cælum, & exstrue-
mus nobis in medio illius NB. domum adorationis (locum in quo cul-
tus publicus peragitur) in summitate illius.

Ad Præstantissimum & Doctiss. Resp.

PRAESES.

Sancta fides hominem Christo conjungit amico,
Producitque operum munera sancta fides.

Quæ

Quæ faciat posthæc cœli te lumine dulci
In studiis sanctis, auxilioque frui.

שיר חרוזי
לכבוד ולתפארת הארון
יוחנן גאורגיוס מיכאל

ד שמע בכל יום תלמוד בצדיקה
ד יקשיב את כל דברי חכמיו
ח שק כלבו את חכמה יהיה
נ פשו בתורה חפץ מעלומיו
נ תן לבבו לדרוש מקראים
ג ם לחפוש תורה למד לשונות
א ף גם ביראת אל הלך בכל יום
ד לילה וחפציו באמונות
ר עי שמע שמע נא בקולי
ג ורלך עם תלמודי חכמים
י שך מהלך בן חכמה בתורה
ד תקרא את קשב בספרים
ס עד יהיה בינתך בחסד
ט פלפול שחלצת כמעד לים
י סרת את אריר מהללך
כ עץ והעצה תציץ לשנים
א קרא בשם אל לנתן את חסדיו
ל שפך בכל יום את רוחו ודבריו

LEBRECHT EMANUEL MILLING,
Scholæ Reformatæ Con-Rector.

Sua

SUavis amice, *Sophus* scandisti pulpita nuper,
Sed jam mutato nomine *Theiologus*.
Ad Batauos vero cum tendis, promere perge
Doctrinæ & vitæ tu documenta tuæ.
Saluum te Dominus conferuet summus, vt olim
Sis etiam *fidus* seruus in aede DEI.

*Hæc paucula in sinceri amoris reuerentia, Amico suo
longe dilectissimo adponere voluit, debuit*

SAMVEL DAVID PALMARIUS,
S.S. Th. & Phil. Stud.

MARTIS belligeri jam Nati munia tractant
Martia, pugnantes nulla pericla timent;
Palladis at Gnatos, qui jam pro dogmate veri
Pugnant, victores Arte vigente vides.
O igitur multum, *Michael doctissime* gaude!
Te Musæ studiis excoluere suis.
Nam vice conscendis cathedram jam Tute secunda,
Divine fidei dogmata vera probans;
Dotibus ingenii tu sis invictus & ore,
Et veram foveas cum pietate *fidem!*
Fide DEO, rursus te fidum JESUS amabit:
Hæc tua sit virtus mascula, *prisca fides*.
Vive precor felix! studiis insilito cœptis!
Artis quo vigeat gloria rara tuæ.

*Paucula hæc sinceri & minime fucati affectus conte-
standi ergo, Amico suo integerrimo gratulaturus
adponere voluit, debuit*

JO. GEORGIUS BOAS, D. A.
Theol. Stud. Opponens.

¶ (o) ¶

1. Neukaus de Fatis Adami.
2. Holzfus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugeninus de Concursu Dei.
6. Caeterius de Providentia Dei.
7. Holzfus de Providentia.
8. Gurd de Lapsu primorum hominum.
9. ~~Idem~~ de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Hareus de tribus scitu necessariis.
13. Ejuod Continuation.
14. Masencorius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Reliq. Evangel.
16. Mieq de Gratiae div. progressu.
17. Sablonochi de indulgentiis.
18. Zulfinger de natura Studii Theologici.
19. Holzfus de Paenitentia.
20. Ejuod de conversione.

penitius de gratuita Justificacoe.
Notheim Trige Observacum.
Notheim de paupertate mentis
iurd de operajus in vinea.
Kirchmeier de Baptismo Ignis.
Petersen de vbo Sabactari.
Kirchmeier de negotio salutis circa infantes.
Meier ad Locum Luc: 23.
Lampe de Titulo Evangel: Johannis.
Pinus de aqua baptismi.
Peschig de Encanis Judaeorum.
Pneig de Lege Moysis per angelos data.
Pn Alphen de Historia Pauli Apostoli.
Poesen de Barnaba et:
Pn Sander de Deo suscitante Xthum ex mortuis.
~~Poesen~~ Poesen Hecmanni Analysis Cap: 9. ad Inos.
Poesen ad Locum ad nos XII. 42.
Lampe de Ecclesia Apostolica.
Pentzki de Stella ex Jacob.
Pottinger de Benedictione sacerdotali.
Pungst de Plaphemi mysterio.
Pau de Libamine in mensa Sacra.
Pottinger de pestis indumentalis.


49. Dif: de Lectione legis solenni.


50. Elonerus ~~de vita~~ ad Reg: 18.

51. Marck ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.


52.

[Faint, illegible handwriting at the top of the page, possibly a title or header.]









Chazaelem, an ex morbo emergere forte posset, sed eo servandus & sanitati pristinae restituendus esset. In quaestione non tantum respondetur directe in ro, vives, sed & cum verbi istius repetitione, vivam quam ad rei certitudinem quam maxime referre fore potest, ut si vita Benhadadi, quae etiam actu nequatur esset, non videtur mihi quidem ullus esse co-

maorem veri speciem habet, quod multi ab aro *vivendo vives*, dicendum abs Chazaele ad Ben- trinxerunt ex interrogatione Regis praemissa, quae *האם תחיה / ei ζήσομαι ἐν τῇ ἀρρώστιας με ταύτης; XX. quam apud Vulgatum, si evadere, & dein, si de infirmitate mea haec? Nempe non rogavit nec Benhadad communiter de vita sua, an & quousque adversus vim etiam externam apertorum vel operum à Deo tuenda esset; sed specialiter de vita perentem finienda vel continuanda, & sanitate à moriendo. Unde licet absolute dici voluerit ad *vivendo vives*, non additis aliis verbis, *ex*, vel *de*, hæc tamen ipsa videri omnino queant esse subintelligenda. Responsio aptè conveniat interrogationi; quæ uti- te respectu omnis, sed determinate solius hujus, vanda est. Pro exemplo simili sit ex innumeris aliis sponsum. *Joh. ix. 3. εἴτε εἴτε ἡμάρτεν, εἴτε οἱ γονεὶς ἡμάρτεν; εἴτε, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῆναι, Salvatorum non omne peccatum origi- à cæco nato & parentibus ejus voluisse arcere, sed re & grave aliquod ob quod magnum illud cæci- co filio obvenisset à nativitate. Isthaec autem sensus necessaria admittit, nihil in eventu judicatur reperiri pro Vatis adversetur. Siquidem mortuus quidem Benhadad, sed non ex morbo hoc, qui ei vitam t, verum ex violenta Hazaelis oppressione sola. tione cum monuisset *Vir. Clar. nihil contineri para- ti & c. id tamen notavit in considerationem mitti pos- Elisa, si hoc sensu intelligi debeat regessisse ad propo- sitionem***